



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Antonii Sanderi Presbyteri, S. Th. Licentiati Hagiologivm  
Flandriae Sive De Sanctis eius Prouinciae Liber vnus**

**Sanderus, Antoine**

**Antverpiae, 1625**

Gordanivs Aquiseincti.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-10172**

inundationem perditis, ad eas recuperandas magnam pecuniæ summam expendit. Præterea cùm non bonus ubique spargeretur rumor præsertim de belli periculo, tempestiuè horrea sua prouidit, ne quid deesse contingeret vel conuentui, vel infirmis & pauperibus in hospitali, vel hospitibus & peregrinis, aliisque eleemosynis præstandis. Huiuscemodi ergo comitata & ornata bonis operibus peruenit tandem ad vltimum vitæ terminum, & in præsentia Reuerendi Domini de Nyzeele, & totius conuentus curam ac regimen domus in eorum manus resignans paulò post in Domino obdormiuit anno ætatis suæ 60. cuius exequias deuotè & honorificè celebrauit prædictus Dominus de Nyzeele; corpusque in Choro Sacerdotum condi fecit, eò quod ipsam non minori honore ac reuerentiâ dignam iudicaret quam si Sacerdos fuisset, quòd de filiis quoque Dauidis refertur in libris 2. Regum nempe capite octauo: vbi omnes filij Dauid dicuntur fuisse Sacerdotes, id est, Principes, vel eodem honore digni quo Sacerdotes. Simili honore ac reuerentiâ digna fuit hæc deuota & venerabilis foemina, quæ meritis suorum operum ac præsertim obseruatione sanctæ regulæ ita præfulsit, vt sicut Christus Dominus inter suos Apostolos, ita ipsa inter Abbatissas, quæ eam præcesserunt, decimam tertiam & præcipua fuerit.

Requiescat in pæce.

### G O R D A N I V S

*Aquiscincti.*

16. Oct. **C**Olitur Aquiscincti à Monachis Benedictinis secundo lapide à Duaco, quo loco vixit ante Monasterij illius constructionem, quod & ipsius consilio à nobilibus viris



viris Gualtero Montigniæ & Sigero Corcellæ Dominis anno 1079. fuit ædificatum. Vbi etiam vitam secuti meliorem se suaque omnia Deo consecrarunt. Huic autem Monasterio variæ collatæ sunt reliquiæ potissimum à Watino Archiepiscopo Thessalonicensi, quam donationem sigillo suo confirmavit anno 1239. & à Roberto Juniore Comite Flandriæ inter eas autem reliquias recensentur brachium S. Georgij, pes alter S. Marthæ, & annulus quo traditur Deipara virgo Iosepho desponsata; eundem locum in suo exilio per aliquot dies decoravit B. Thomas Cantuariensis Episcopus.

## GVIVINA VIRGO

**V**irgo Flandrica fuit & vitam Eremiticam Brugis 8. Dec. apud Quercetum, vulgo ten Eeuchoute, egit; postea Bigardas locum quietiorem eligit, vbi claret miraculis; colitur 14. Kal. Ianuarij.

## GODEHARDVS.

**F**uit Episcopus Hildeshemensis & à Molano in Indi- 5. Maij. ce Sanctorum nomē eius ponitur ad diem quartum Maij Arnekæ in occidentali Flandria non procul à Castello celebris eius est memoria.

## GOSWINVS

*Aquiscincti.*

**F**uit septimus Abbas Aquiscinctinus. Is parentibus 9. Oct. relictis vir summæ humilitatis Aquiscincti Monasticam vitam est professus. Vbi in matura ætate cantum

P 2

cum